



Nf. 96.



IN
NATALEM SALVA-
TORIS NOSTRI
JESU CHRISTI

PROGRAMMA

affixum

ab

ACADEMIÆ RECTORE
JOHANNES QUISTORPIO,
Theolog. Doctore Professore
& Ecclesiaste,

Anno ∞ 10c XXVII. die XXV. decembris.



ROSTOCHI
Excudebat Joachimus Pedanus.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS
JOHANNES
QUISTORPIUS
S.S. Theol. Doct. Professor
& Ecclesiastes.



Um Propheta *Esaias* puerum
istum, *cujus* natalitia hodie-
no die recolimus, in plenitudi-
ne temporis exhibendum spi-
ritu prospiceret, *Et* jam tu
animo presentisceret ea com-
moda, quæ ubertim exinde re-
dundantia nos in Novo testa-
mento plenius percepturi eramus: gaudio, exulta-
tione, tripudiis, omnia resonatura dixit, *Et* ex di-
stino squallore convertenda in perpetuam animi læ-
titiã; *Lætati, inquit capite nono, sunt coram te, juxta*
lætitiã quæ est in messe, & quemadmodũ exultant mili-
tes quando dividunt spolia. Parvulus enim natus est
nobis, filius datus est nobis. Tantum in illo momen-
ti putabat, ut nihil amplius triste aut asperum aut
difficile, hominibus obtingere posse consideret, quod
interventu suo turbaret conceptam ex ejus nativi-
tate.

tate hilaritudinem. Id quidem, ratione si rem æ-
stimes incredibile videtur, & supra fidem posi-
tum. Quid enim pueriles manus audere magni-
queant? quid promittat tam letum recens natus
pulsio, quid tam altum, quo nos miseros, peccatis im-
mersos, Deo exosos, & aternas pœnas promeritos
refici, recreari, adjuvari posse confidamus? Mul-
ta certè, quæcunq; hodie de eo audimus, humi-
lia sunt & abjecta, & contempta, & ipsa sui tenui-
tate refellentia tantam spei magnitudinem? Ubiq;
enim in oculos & mentes cogitantium incurrun-
, & paginam, quod ajunt utramq; faciunt, infantilis
debilitas, miserabilis vagitus, stabuli sordes, cubile
præsepis, fasciarum ligamentum & pannucia vix
centonibus bonis digna. Quis inter ista Deum
querat? Vagientem audis & lamentabili voce ex-
poscentem pauperrimæ matris auxilium: hiccine
est ille, qui alta cœli templa terrifico tumultu concu-
tit, ad cuius minas & fulminis ictus, & vocis toni-
trua ima tellus movetur, tremiscit mare, fugit cœ-
lû, ipsa potestates Angelicæ alas devotè submittunt?
Infantem in sinu intactæ matris reptare, & ex ube-
ribus nulla nisi ista manu pressis lacteû haurire hu-
more cernis? hiccine pascit omnia, qui ad instar no-
strû pascitur, indigensq; lacteâ alimoniâ puellus nos
eriget aut reficiet? In stabulo pannis involutû inve-
nis, eumne nunc dicemus esse, qui inhabitat lucem?

inaccessibilem, qui ipsi soli lumen præbet, in cuius veste & scemore scriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium? In præsepi reclinatorium habere dicitur: quam alienum hoc ab eius majestate, cui ipsa cæli cælorum spatiosa magnitudo angustum præbet domicilium? Majores nostri Teutones referente Cornelio Tacito, de moribus Germanorū. Nul- lum Deo aut templum statuerunt, aut erexerunt a- ram, quod injurium putarent & abhorrens à ma- gnitudine æræ includi parietibus. Et nos ute- ro conclusum eundem credemus, in fœtore stabuli, in præsepi, inter feras & jumenta exiguo corporis pul- visculo tectum? nemo id credet, nemo, nisi qui à Deo edoctus fuerit, nisi qui rationem valere jubens, unū Spiritum Sanctum ducem & præmonstratorem se- quatur, nisi qui inter abjecta hæc & vilia, simul & cælestes præcones, & jubilis resonantem æera, & Angelos ministros attentè cogitaverit. Eorum enim vocibus docemur, fide credenda esse quæ rationem om- nem fugiunt. Si nihil altius in hoc puero suspi- cis, cogita saltem quibus internunciis utatur: si va- gientis miserandam vocem spernis, suspice cælum clangore spirituum reboans: Si vilescunt tibi panni quibus obvolvitur, Angelos collaudantes attonitus admirare: si præsepe in quo infans jacuit, sordidum tibi videtur erige paulisper oculos, suspice q̄ legatos ex æthere pastoribus annunciantes natalis sui Do-
mini.

mini. Confer hæc reliquaq; magnifica cum viliibus
istis, & scies parvulum hunc esse qui sit matre ju-
nior, sed tamen & filium Dei, quo nec pater sit anti-
quior, natū qui morti daretur, se a & datum ex quo
vita nasceretur, natum inquam, qui aliquando
non erat, simulq; datum, qui cum patre semper erat.
Scilicet quod non habuit natura, usus nescivit, igno-
rat ratio, mens humana non concipit, pavet cælum,
stupet terra, creatura etiam cælestis miratur, foetus
hæc matris suæ creator est, & Deus assumpsit com-
pagem carnis, & qui omnibus cælis excelsior est to-
tum se se univit humani corporis angustiis. Desi-
nant nunc Græci jactitare Myrmecidis sui inge-
nium, qui quadrijugū currum, & currui aurigam
insidentem tanto artificio efformavit, ut alis ea mu-
sca tegeret. Involvatur perpetuo silentio celebrata
illa alterius sculptoris industria, in cera si nucleo na-
væ velis, remis, rudentibus, & omnibus necessariis in-
structam effingentis, quam tamen apicula in anten-
nis constituta alis suis cooperiret. Non memoretur
amplius docta ista scriptoris manus, quæ Homeri I-
liadem, tot bella, tot conflictus, tot concertationes du-
cum, tot prælia, tot militum acies & vexilla pedi-
tum & equitum teneræ nuci inclusit. Ecce hic novū
opus, opus singulare, opus solo artifice Deo dignum,
quod omnis admiretur antiquitas, omnis deprædi-
cet memoria, Parvulus Dei Filius, Homo Deus, Ver-

bum factum caro, & in Creatura Creator ^{omnipotens}
in habitans. Hinc ista caelestium spirituum fidelia
ministeria: hinc illae angelorum voces & triumphales
cantus in nativitate pueri exaudiuntur: hinc
gratulationes aetherearum linguarum, quae regi re-
cens nato Genethliacū laetè accinūt. Nectamē spiritus
isti sibi gaudent; non letantur sui commodi causa,
ad homines tota felicitas ista pertinet, hominibus gra-
tulantur, hominum sortem terq; quaterq; beatam
praedicant; & quid ni gratularentur? quid ni pra-
dicarent beatos? nobis iste parvulus natus, iste filius
datus est nobis. Propter nos magnus ille caeli artifex, ex in-
tacta virgine parvus & abjectus nascitur, ut nos contemti &
abjecti expulvere & squallore erigeremur: propter nos ex filio
Dei sit filius hominis, ut nos filij hominis per ipsum filium Dei
filij Dei fieremus, propter nos factum est quicquid hic factum
est. Abjicitur in stabulum ut regnemus in caelo: involvitur
fasciis, ut laceris peccatorum panniculis ablatis, justitia ipsius
vestiamur: abstruditur in tenebras, ut caelesti luce irradiemur;
pauper nascitur ut ditescamus bonis māsuris & perpetuis.
Quas enim divitias filius Dei non promereretur sua ino-
pia? quas tenebras, quam illunem noctis caliginem non dis-
pelleret caelestis ille aeterni patris fulgor? qui nodi aut laquei
mortis detinerent hominem, cujus fascias & vincula in se
Deus transtulit? quomodo dedignaretur incolas caelum, quo-
rum gratia in stabulum, & si quid stabulo vilius est, caeli do-
minus se dimisit? quis despiciet post hac tanquam abjectae
sortis homines, propter quos maximus Mundi Receptor parvus
homo factus est? Non certe non despicient nos Angeli qui Do-
minum & creatorem suum nature nostrae consortem vident,
non

non Pater qui unicum suum filium nobis tradidit: non Filius,
quo cum carnem de carne & de ossibus nostris assumentes,
in indissolubilem germanitatis nexum coaluimus: non ipse
Spiritus Sanctus hujus mysterij auctor & quasi pronubus;
quin & mundus, contemnat licet rideatq; tenuitatem no-
stram, cognoscat tandem risum hunc fuisse sardonium, damnoq;
suo discet, satis magnos & tutos esse nixos hujus regis tutelâ,
quos ille tanquam impares, despicit alto supercilio. Fremat
licet & indignetur furens aestimatione sui, & totis viribus
regnorum suorum armatus in certamen prodeat, omnesecum
suum robur, & ducibus quoq; ignotum numerum trabens, una
vox imo nutus hujus nostri regis compescet insultus & tumul-
tus omnes hostiles, suumq; populum beneplacito suo ab omni
conatu inimicorum, indemnem præstabit & incolumen.
Quidni enim defendat ille nos facile, qui ab ipso peccato nos
liberavit, ipsas mortis portas confregit, ex ipso inferni bara-
tro manibusq; licitorum infernalium forti manu nos vindi-
cavit & asseruit. Proinde si tantorum bonorum fons & origo
hic nostri natalis Domini existit, quidni traducamus eum
latè, & digne eum celebremus? Siculos ex historiis constat na-
talem diem Timoleontis Syracusanorum Ducis festum quo-
tannis habuisse, cujus opera multas splendidas & insignes re-
portaverant ab hostibus victorias: Epicuri discipuli vicesi-
mum cujusq; mensis diem solemnem egerunt, quod hoc ipso
præceptor eorum natus videretur, cujus imaginem in annu-
lis etiam & poculis & tricliniis passim exprimebant, ne ab
oculis eorum unquam procul versaretur, cujus meminisse as-
sidue volebant: Cur non potius nos nostri regis natiuitatem
hilariter recolamus? cur tristemur hoc natali, qui verè nata-
lis omnium gaudiorum est? cur non latemur propheta verbis
juxta latitiam quæ est in messe & quemadmodum exultant
milites quando dividunt spolia? sed spiritualis sit hac latitia
necesse

neceſſe eſt, non quam in ventris ingluvie, & venis mero reple-
tis diſtentiſq; querunt abdomini dediti homines, & bonum
ſuum ceu bruta pecudes cibo tantum metientes. Sic qui-
dem plerumq; agitur, tum demum ſe digne celebraſſe Do-
mini natalem multi ſibi videntur, ſi ludis, jocis, epulis, luxui
carnalibusq; deliciis omnes habenas laxaverint. Ut Philiſtæi
olim puteos quos Abrabæ ſervi foderant, invidia exagitati
rueribus & terra opplebant, quod eſt in ſacris literis, ita
nunc illi feſtum ad reſectionem animi, ſpiritualesq; delicias
conſectandas inſtitutum, terrenis voluptatibus ſædare, & ſpi-
ritualia carnalibus obruere conantur: quo quid eſſe poteſt
ſtultius aut indignius Chriſtiano homine. Itane ſervatoris tui
lacrymas, humilitatem, frigus, ſquallorem, & extremam na-
tivitatis inopiam, ſuperbiâ faſtu, ingluvie, poculis, luxuriâ
celebrabis, quæ ille tantis ærumnis abolitum ivit? boccine
Chriſtianum imo humanum ſaltem, pro vagitu riſum, pro
inediâ crapulam, pro paupertate luxum reponere? quid re-
ſpondebis aliquando, cum hæc humilia quæ noſtri cauſa ſuſce-
pit, ad memoriam revocabit, ſi non niſi faſtu ea recolueris?
pia prece, divinis præconiis, cordis jubilo, admiratione tanti
amoris tantæ humilitatis divine dies hi traducendi ſunt, ut
conſecrentur mens curæq; omnes humane ei, qui ſe totum ho-
mini dedit, nihilq; agamus, cogitemus meditemur, quo non
gratiam pro tam ineffabili beneficio agamus vel habeamus,
Quicumq; certè ex ordine noſtro ſunt cives Academici, gerent
ſe ceu decet Chriſtianos Academicos, impendent hos dies me-
ditationi tantæ beneficii, paſtoresq; & verbi miniſtros, qui id an-
nuntiant, diligenter attendent, ſimul devotè Recens nato huic
Regi ſupplicaturi, ut ſuum populum tot modis oppreſſum & af-
flictum propius aliquando reſpiciat, & quos ab æternis tor-
mentis potenter vindicavit, in his terrenis malis non deſerat.
P. P. die 25. Decemb. Anno 1627.









Je 765



ULB Halle
002 413 515 3


A standard 1D barcode is located on the white library label.

TA-OL

VD 77


42





Handwritten text in the upper right corner of the cover, possibly a library or collection number.





MA
SALVA-
STRI
RISTIE
CTORE
STORPIO,
Professore
XXV. decembris.
H I
us Pedanus.

9474

